

Vd  
3135



h



h. 19, 24

Vd  
3135

DE  
PACIS INTERPRETIBVS  
DISSERIT

---

ET  
A D  
HILARIA PACIS  
IN SCHOLA MARIAEMONTANA  
CELEBRANDA

INVITAT  
M. GOTTLOB SAMVEL BAVERVS  
SCHOLAE RECT.



---

ANNABERGAE  
EX OFFICINA FRIESIA.

1763



DE  
PAGIS INTERPRETIBVS

ESSERT

DE

A D

HILARIA PAGIS

IN SCOLA MARBURGENSI

GRADUATA




M. COETLO

AMMUNITION

DE ORIENTIS PARTIA





EVM esse, cuius sapientissimo numine confilioque res humanae administrantur, qui vota audiat, & nutu propitio mortalibus concedat, quae supplices diuina consilii clementia petunt, auspiciatissima hodierna luce e multis documentis in illustri monumento positis intelligimus. Quae enim per sex amplius annos varias inter belli funestissimi calamitates & sollicitudines innumerabiles, terrore ac metu prope enecati optauimus, & a summo rerum humanarum arbitro gemebundi precati sumus, eorum nos participes nunc esse redditos, laetabundi omnes confiteamur necesse est. Annuuit DEVS optimus maximus votis, & Summos Europae Principes inter se acerrime digladiantes de restauranda pace cogitare in mentem non impulit tantum, sed etiam saluberrimis eorum consiliis coelesti sua gratia adspirauit, concordiaque inter eos reducta pacem desideratissimam patriae omnibus fere opibus exhaustae clementissime restituit. Pacem, magnum hoc & ingens donum



num dum nomino, quid humanarum rerum dulcius & salutarius nominare possim, sane nescio. Quid enim pace iucundius? quid laetius? quippe qua, ut Tullii verbis utar, non tantum illi, quibus natura sensum dedit, sed etiam testa atque agri laetari videntur. Quotnam quaeso, & quanta pax innumeris triumphis potior, commoda complectitur! Qua sola, vis legibus, iudicii auctoritas, sacris suis honos servatur; qua cultus agris, & ex cultus sedulitate ubertas proventuum manet, commerciorum fecundior successus, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio, & quod maxime ad nos pertinet mularum decus praesidiumque redditur, quibus belli tumultu nil aliud, nisi tristis fuga, si modo quis locus bello vacuus, quo tuto confugere possint, superest. Iure igitur meritoque optimo pax boni publici radix, opulentiae feges, fecundissima securitatis mater atque omnium bonorum nutrix dicitur.

Tanto, tamque insigni munere nos nostramque patriam ad incitas prope redactam, propitii rebus humanis Numinis clementia rursus exhilarat. Diuinum profecto munus est, ad quod homines ex se & suis viribus nihil conferre poterunt, nec iam possunt, nisi ut illud grata mente excipiant, illius auctorem, pro eo ac debent, laudent, utque illud tueatur ac seruet piis precibus implorent. Quas partes etiam schola nostra, prouida DEI cura inter tantas turbas armorumque strepitus, & tot discrimina rerum incolumis seruata, sibi vel in primis demandatas esse probe intelligit. Qua propter neque disciplinae nostrae alumni, neque alumnorum magistri in tantis beneficiis quanta DEVS in nos contulit, depraedicandis tardiores, quod ipsum graue, neque in agendis gratiis remissiores, quod impium foret, videri volumus; Sed gratissima pariter ac laetissima mente immensam Summi Numinis clementiam pie agnoscentes, eius laudes submisse celebrabimus. Quo facto pietatem nostram inter plausus ac vota

ta



ta religiosissima pro *Serenissimi* atque *Clementissimi* AVGVSTI  
*Patris patriae Optimi Maximi Eiusdemque Inclutissimae Gentis* salute  
ac felicitate summa obsequii religione, quantum in nobis erit,  
testabimur.

Prius vero quam eorum argumenta indicamus & nomi-  
na, qui e coetu scholastico in huius diei celebritate partes  
suas acturi sint, de *Pacis Interpretibus* quaedam proluisionis  
caussa praemittam, nec tempori aliena, nec lectoribus, vt  
spero ingrata. Quam ad rem vt viam mihi muniam vis &  
natura vocabuli *Interpretis* inter latinis significanda videtur,  
cuius multiplicem et varium apud scriptores vsus esse, omnes  
qui in antiquorum scriptis non hospites plane sunt ac peregrini,  
exploratum habent. At quum cuius verbo natia  
quaedam vis inest ac propria, ad quam reliqui omnes loquendi  
vsus referendi figendique sunt, qui conuenientes inter se pro-  
priam istam vocabuli naturam cognatione quadam attingunt,  
ita hoc quoque de vocabulo nostro, *Interprete*, certum est.

Dicitur autem in vniuersum de omnibus quorum opera,  
interuentu & intercessione aliquid efficitur, siue vt *Cel. Ernesti*  
in *Clav. Cic.* reddit: *Interpres*, internuncius, mediator per  
quem quid transigitur inter duos. Hinc de omnibus adhiberi  
potest, quorum beneficio aut interuentione inter duo negotia  
contrahuntur, vel nomina, vel nuptiae, vel amicitiae. Quo  
fit, vt auctores, quem alias dixeris, *Pararium*, *Proxenetam*,  
*Conciliatorem*, *Mediatorem*, *Interuentorem*, *Conglutinato-*  
*rem* *πρωυνησιδα* *Interpretem* vocent. Vnde familiarissima e  
lexicis & vocabulariis vulgaribus significatio qua redditur  
germanice: ein *Dollmetscher*, ein *Ausleger*, i. e. cuius mini-  
sterio vtimur, vel ad linguam peregrinam s. alienam vel ad  
aliorum mentem intelligendam. Quo sensu *LXX illi viri*, qui  
foederis prisca diuina oracula graece reddidere, interpre-  
tum nomine insigniuntur; & *Plinius H. N. l. XXV. c. II. de Mi-*  
*trivade*

*shridate* scribens, illum, inquit, solum mortalium viginti duabus linguis locutum certum est, nec de subiectis gentibus vllum hominem per *interpretem* appellasse. Nomen autem Interpretis inter Romanos peculiaris officii fuisse, ex multis antiquitatis locis constat. Erant nimirum interpretes homines, ex Apparitorum vel Libertinorum numero, quos inter exteras gentes adhibebant ad earum orationem interpretandam. Quod patet e *Cicer. epp. ad div. l. XIII. ep. LIIII* vbi *Thermo Marcilium* commendat, Interpretem, quod in longa apparitione singularem & prope incredibilem eius fidem, abstinentiam modestiamque cognouisset. Deinde mentionem fecit *C. Publici Menandri* libertini hominis, quem apud maiores legatos in Graeciam proficiscentes Interpretem secum habere voluisse, testatur.

Ex innumeris fere aliis locis quibus huic verbo Interpretis reliqui significatus a me prolati tribuendi sunt, pauca tantum proferam. *Primus* mihi occurrit e *Virgilii Aen. l. III. v. 608*. Ecce ipsa verba:

Tuque harum *interpretes curarum & conscia* Iuno.

Iunonem autem, quam Dido interpretem curarum dixit, contextus docet, eandem fuisse amorum conciliatricem s. proxenetriam, *προμηθεϊαν*.

Sic interpretis pecuniae pro illo dicitur qui etiam *Sequester* audit. Quo sensu praescos christianorum scriptores quos Patres vocant, Christum Seruatorem *humani generis*, *Sequestrum* appellare non dubitasse, liquet e *Tertull. de Resur. Carn. c. 51*. „Hic Sequester Dei atque hominum appellatus ex vtriusque partis deposito commissio sibi. Idem in *libro de Patientia*: „Adeo satis idoneus patientiae Sequester est Deus, si iniuriam „deposueris apud eum, vltor est. (\*)

*Alterum*

(\*) Quia scilicet Graeci verbo, *Μεσίτης*, pro sequestro vtuntur.



Alterum locum depromo e *Ciceron. de Nat. Deor. II. III.* vbi Grachus *Aruspices interpretes comitorum* esse posse negat. Quibus verbis, caue putes, Grachum intellexisse: Aruspices aut indixisse comitia, aut acta in istis exposuisse, aut vim actorum indicasse sensumque, id quod nec historia nec locus noster patitur; Sed Aruspices scire, vult, vtrum iusta comitia fuerint an vitiosa, id quod ex antecedentibus videndum. *Tertium* denique locum suppeditat idem *Cicero in Or. pro A. Cluent. c. XXXVI.* vbi *nummarii interpretis* pacis & concordiae non probati mentionem facit. Quis nummarius interpretis pacis? nullus sane alius, nisi corruptus et pecunia redemptus pacis reconciliator. Hic non esse sicco pede transeundam significationem arbitrator, quam nomen interpretis inclinata fere Romanorum republica obtinuit. Inualecente scilicet praua eorum consuetudine, qui honores petebant populum pecunia corrumpendi, eiusque sibi redimendi vota, aderant huius rei administri, per quos pactio, teste *Afconio* fieret qui interpretes dicebantur. Plura de huius vocabuli vsu, ne longior iusto sim, nec adferre libet, nec ad disputationis meae argumentum quid pertinere video. Videtis *Ernesti Cel. V. l. c. it. Suarzius ad Plin. Paneg. p. 44.* Meum nunc esse intelligo, quinam Pacis fuerint Interpretes ostendere, qua conditione, quoue ordine. *Pacis interpretes* in vniuersum si spectes, sunt omnes, qui alioquin internunticii, s. mediatores, licet mediator, is voculam apud Latinos autores teste *Erasmo* vix inuenias, vocantur; quos *Lucianus C. B. L. X. 472* & *Silius Ital. l. VI. 347.* pacis sequestros dicunt. Qui mittebantur ad bellantium inter se partes, vt, animis ad concordiam reconciliatis, pacem restituerent. Quod inter alia exempla clarius apparet e *Liuiio Hist. l. XXI. c. XII.* vbi *Alorcus* quidam apud *Hannibalem*, se pacis interpretem fore pollicetur ad *Saguntinos*, missusque *c. XIII.* oratione habita pacis conditiones ab *Annibale Saguntinis* oblatas exponit. Sed historia condocefacti scimus aliam inter Graecos, aliam inter Romanos, aliam apud alias gentis pacis interpretum deprehendi rationem. Occur-



Occurrunt autem apud Graecos & Romanos, ceteras gentes nunc omitto, duplicis generis interpretes, quorum alii ordinarii alii extraordinarii dici possunt. Hi, pro renata, e spectatissimis viris eligebantur ad lites componendas, non certum quendam constituentes ad hanc rem institutum ordinem aut collegium, qualis extraordinarius interpres pacis prolatus modo e Liuio Alorcus Hispanus nominandus esset. Illi contra, peculiare quoddam collegium siue ordinem peculiarem effecere, cui istae partes datae. Dicuntur apud Graecos vtriusque generis interpretes pacis, *πρεσβείης, πρεσβύται*, legati, nomen ab aetate gerentes, quod seniores plerumque ad munus legationis fumerentur. Sicut e lege *Chalcidensium* constat, quae sancitum fuerat: Ne quis natus intra L. annos vel magistratum ageret vel legationem obiret. *vid. Iul. Poll. Onom. l. VIII. c. XI.* Singulari quoque nomine *Ἐθνοδίκοι, Ἐθνοποιοί, Μεσίται* audiunt. Delecti e magistratu ad id munus gestamine vbi sunt *κηρυκείω* caduceo & ad ministris *σπονδοφόροις & κηρυκῶς* *vid. Pollux. On. Thucyd. l. III. Hom. Od. κ. 59. 102. & τ. 244. it. Iliad. κ. 14. 178. cf. & Corn. Nep. Hannib. XI. τ.* Ceterum notandum est, inter Graecos, praeter Magistratum, nullum peculiare collegium extitisse, pacis interpretum nomine insignitum, quod pacis mitteret internuncios aut istius rei gauderet cognitione. At differunt a Graecis hac in re, vt in multis aliis, Romani. Quem enim fugiunt Romanorum *Feciales* quibus ratione ordinaria pacis interpretandi munus delatum fuerat, qui a Graecis ea de re *Ἐθνοποιοί* siue vt *Dionysius* istos vocat *Ἐθνοδικούς*, vertuntur. Eisdem *Festus*, nisi in mendo cubat locus, sacros sacerdotes, pacis vel belli auctores nominat, quod belli, pacisque faciendae apud hos ius fuerit. Referendi autem sunt ad magistratus minores, a *Numa Pompilio*, an *Tullo Hostilio* secundum *Plutarchum*, incertum; institutos. Quo minus eorum auctor certus, eo certius e *Liv. Hist. L. I. c. XXXII.* relatum legimus *Ancum Martium Iuri Feciali* primum reddidisse formam. Idem ipse

*Liuus*

*Linus* l. I. XXXVI. nos docet, collegii peculiaris, quod constituerent fuisse videre: Ne populus Romanus vlli foederatae ciuitati bellum inferret. Vt ab exteris nationibus res iniuria adempta repeteret; vt postulata facere recusantibus bellum indicerent; de legatorum iniuriis cognoscerent, & foederum conditiones seruarentur. *Vt pacem facerent ac minus recte factam rescinderent* cet. cf. *Cic. de legg.* l. I. it. *Val. Max.* libellus qui ipsi adscribitur, *de nominibus.* Quanquam Feciales non semper fuisse pacis internuncios multis elocis patet, partesque cum hoste agendi aliis viris spectatae fidei, integritatis & excellentis animi saepe datas; acta tamen ad Feciales vt diiudicarent, semper erant referenda. Cuius generis exempla cum innumera fere legantur, vt proferam quaedam, non opus fore arbitror.

His missis ad viros alios potius progredior ad pacis interpretes referendos. *Irenarchas* nimirum, pacis priuatae potius restitutores quam publicae internuncios, atque adeo Fecialibus inferiores & dignitate & tempore, in scenam produco.

Nominis occasionem institutum Graecorum, fatis notum, praeuuisse videtur. Teste enim Plutarcho in *Lycurgi Vita*, apud Spartanos fuit sancitum in educandis pueris: vt puero- rum & adolescentum singulis classibus morum & disciplinae rectores quidam praeficerentur, ex eorum ipso numero delecti, ceteris prudentiores, alacriores & pugnaciores, quorum quisque *Ἀγέλαρχης* dictus fuit. Desumebantur autem tales *Agelarchi* ex *Irenis* & *Mellirenis*. i. e. pueris qui duobus annis e pueris excefferant, & e maximis in pueris. Ecce tibi Plutarchi verba de hac re e cit. loc. desumpta. *καὶ ἀγέλας αὐτοὶ (παιδονόμοι) προΐσαντο τῶν λεγομένων ἱρένων αἰεὶ τὸν σωφροναίον καὶ μαχιμώτατον. ἱρένας δὲ καλεῖσι, ἵως ἔσος ἢ ἡ δειψέρον ἐν παίδων γεγονότας. μελλειρένας δὲ τῶν παίδων ἵως πρεσβυτάτας. ἕως ἂν ὁ εἶρη, εἰσὶν ἔτη γεγονότας, ἄρχει τε τῶν υποτέταγμένων ἐν ταῖς μάχαις κ. τ. λ.*

B

Hinc

Hinc duplex in ~~Lectorum~~ libris Irenarchae legitur significatio. Altera, qua Irenarcha dicitur is, qui disciplinae publicae & corrigendis moribus praeficitur, & paci praefertim, securitatisque viarum inuigilet. vid. *Ulpian. in l. Munerum D. de muneribus & honor. l. 50. t. 4. & in leg. Diuus ff. de custod. & exhib. reor. vbi Irenarchae ita definiuntur: vt sint οἱ τῆς τῆ δημοῦ ἐπιαξίας ἐπιταξίτες.*

Altera, quae legitur in *Cod. tit. de Irenarchis*, vt dicatur is, qui ad tollendas discordias, & pacandos ciuium animos in ciuitate praeficitur. Qua de re *Cuiacius Observ. l. I. c. 33.* Irenarcham ἰρηῶν 4. vocat Φύλακα τῆς εἰρήνης; *leges Gothorum*; Pacis assertorem. Itaque quantum assequor, Irenarcha Germanice nominari possit: Ein Friedensrichter, etsi munus Irenarcharum plura & maiora in se continet quam tribuuntur vulgo apud nos iis, qui audiunt Friedensrichter. Hinc sunt, qui putent, istud verbum conuenire, cum eo, quem alias Praefectum vrbis aut minus latine Capitaneum vrbis vocant.

Licet autem Irenarcharum dignitas non leuis, ciues inter suos fuisse videatur, ad municipales & prouinciales tantum magistratus, minime autem ad vrbanos est referenda. Nec satis liquet, sub quo tempore primi viri isto titulo affecti fuerint creati. Interea, ni fallor, Irenarchas libera republica vix deprehendes, aut forsitan haud longe ante prouinciarum partitionem inter populum & imperatorem factam. Qua in re si subsidii, subtilius id indagandi destitutus, aluciner, libentissime errorem mihi eximi, meque humaniter corrigi patior. Quam incertus in eo versor, tam certum habetur, Irenarchas a Decurionibus creatos, a Praefidibus autem, quos vel Pro-Consules, vel Legatos Caesaris & Rectores prouinciarum fuisse, vel tironibus innotescit, esse confirmatos. Qua de dignitate apud Romanos plura omnino essent proferenda, quod si Pancirollus de Magistr. municip. Glossarium du Fresne, Sam, Pitisci Antiquit.

quitt. ad manus mihi essent, neque subtilior, huius rei disquisitione ad forum aliud magis, quam ad scholam nostram pertineret. Quare haec dixisse sufficiant.

E diuerticulo in viam vnde digressus nunc rediens, iunenum nomina indicabo, qui e schola nostra Summo Irenarchae pro diuturnis bellis compositis, almaque pace patriae, quid quod omni Europae indulgentissime reddita, laudes decantissimas gratiasque diuerso dicendi genere sint reddituri.

Quod negotium in se suscipere sequentes:

CAR. AVG. BLVEHERVS, *Mariabergens.* τὸ Θείον finiti belli, oratiuncula latina recenset.

CHRIST. GOTTF. BILZIVS, *Mariab.* Providam DEI curam erga hanc scholam in pristini belli temporibus latine praedicabit.

CHRIST. FRIDER. ROSE, *Lichtenstein.* Pacem inter homines sine pace cum DEO minus esse firmatam, Graeco idiomate probabit.

CAR. ERID. TRAVGOTT KREBSIVS, *Ioestad.* Comoda, quae pax studiis afferat latine.

CAR. CORN. BILZIVS, *Mariab.* Pacis praestantiam Germanice describet.

FRANCISCVS FVLDA, *Hungarus.* Sereniss. Principum Austriae merita de litteris, Gallice laudabit.

IOH. GOTTF. SCHOENHERR, *Lauterbacensis.* Carmine Theodisco DEI causam agere in huius mundi malis.

AD. FRID. WETZELIVS, *Hilmersd.* Proverbium Germanorum: Wenn die Noth am größten, so ist die H. a. n. Germano idiomate ad tempora nostra accommodabit.

GOTTLIB LEBERECHT NIEDNERVS, *Lichtenst.* Officia hominum post redditam pacem praecipua, latine enarrabit.

IOH. TRAVGOTT BLVEHERVS, *Mariab.* Laudem Dei, summum esse officium post pacem restauratam, sermone patrio

V. D. 18

10 3135 01  
XII ☼ \* ☼

patrio asseret; ac in huius actus sine munus epilogi carmine latino sustinebit.

GVLIELMVS FVLDA, *Hungar.* Ciues ad laetitiam pro pace ligato latino sermone excitabit.

GOTTL. EHRENFRIED LANGERVS, *Seiffensfr.* Belli pacisque tempora inter se conferet, carmine Germanico.

GOTTLIEB FRID. AVRICH, *Cygne.* Seren. Saxoniae Principum merita de re scholastica latino dicendi genere celebrabit.

Quibus adiungendi sunt secundae & tertiae classis discipuli aliquot:

IOH. CHRIST. TECHELMANNVS,  
CAROLVS CONR. FRENZELIVS, ) Mariaberg.  
FRID. GVLIELMVS BLVEHERVS,  
CAR. FRID. LANGERVS, Lauterbac.  
CAR. GOTTLIEB MARTINVS, )  
HENR. FRID. LANGERVS, ) Mariabergenf.  
GOTTL. FRID. LORENZ.

CHR. FRID. TECHELMANNVS,  
CHR. HIERONYMVS KLEMM,  
FRID. AVG. LEBERECHT SCHMIDIVS,  
CHRIST. GOTTL. MEINOLDVS, } Inquilini.  
CHRISTOPH. HENR. BLVEHERVS,  
GOTTL. SIGISM. DONNER,  
IO. HENR. FRENZELIVS,  
GOTTL. FRID. HERTELIVS, Zoepfit.

IO. HENR. STRVNZIVS, Mariab. qui pietatem significaturi atque laetitiam, variis modis vota gratesque Deo perfoluent.

Quorum omnium piis conatibus vt *Excellentissimi, Plurimum Reuerendi, Praenobilissimi, Consultissimi, Experientissimi, Amplissimique PATRONI, INSPECTORES, Fautores, Amici omnium ordinum* (d. XXIII. Mart. hor. IX. mat.) perbenigne interesse velint, omni qua par est pietate ac obseruantia rogo.  
Scribebam Mariabergae d. XVI. Cal. Aprilis. A. O. R.  
clb Is cc LXIII.



20.0



ULB Halle  
007 661 797

3







h. 17, 24

Vd  
3135

DE  
PACIS INTERPRETIBVS

DISSERIT

ET  
A D

HILARIA PACIS

IN SCHOLA MARIAEMONTANA

CELEBRANDA

INVITAT

M. GOTTLOB SAMVEL BAVERVS  
SCHOLAE RECT.



ANNABERGAE  
EX OFFICINA FRIESIA.

1763

